



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Sacramenta an mereantur salutem æternam. tit. 59

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

per verbum suū, Ioan. 16. Confidite, quoniam ego vi-
ci mundū. Quartò, in nobis esse & manere, sicut ca-
put in membris, & membra à capite pendent, Ioan. 6.
Quintò, Iterum velle nobis recōciliari post lapsum,
per pœnitentiā, non septies, Mat. 18. Et in signum reli-
quit claves Ecclesie. Sexto, Non velle imputare defe-
ctus carnis propter matrimonium in fide contractū,
Hebræ. 13. Honorabile connubium. Septimò, Velle
condonare, nedum peccata Spiritualia animę, sed et-
iam corporalia in omnibus membris contracta, Iac.
5. Hęc varia dona promisit D E V S credenti propter
Christum, & per Sacramēta certifiat, iam per fidem
hęc accepisse &c. credentem.

Tertiò, Fructus igitur Sacramentorum sunt: Ba-
ptismo accipimus remissionem, Tit. 3. Act. 2. Confir-
matione, conseruationem fidei per impositionē ma-
nuum, Act. 21. Consolationem per verbum Dei, quo
anima excitatur & viuificatur. Psal. 118. Viuifica me
secundum verbum, vnionem & nouam incorpora-
tionem per Eucharistiam, si redierimus post lapsum,
Ioan. 6. Qui manducat me, manet in me, &c. Recon-
ciliationem & condonationem admissorum pecca-
torum post baptismum, sicut filio prodigo, Lucæ 15.
contigit redeunti ad patrem: sic claves absoluunt,
Ioan. 20. Nolle imputare defectus matrimonij pro-
pter Sacramentum in Christo susceptum, 1. Corin. 7.
Qui nubit in Domino, non peccat. Septimò, plenam
absolutionem in vnctione, Iaco. 5. Hi sunt fructus &
dona quę in Sacramentis propter Christum creden-
ti distribuuntur Sacramenta etiam discernunt fide-
les Catholicos à cæteris gentibus, Iudæis, Hæreticis,
qui illa non habent aut contemnant.

SACRAMENTA AN ME-
reantur salutem eternam.

TITVLVS LIX.

Primò,

Primò, notandum est diligenter, quòd solus est vnus, qui promeruit toti mūdo salutem æternā, id est, Christus Deus & homo, qui mortuus est pro peccatis nostris, Roman. 4. Et semel intrauit in sancta, & æternam reperit redemptionem, Hebræo. 9. Nihil ergo est in toto mundo, neque Sacramenta aut opera, neque fides, dilectio, timor, pax, patientia, castitas, &c. nullum horum est sanguis Christi. Nul- lum ergo horum potest promereri salutem: Manet er- go gloria soli Christo: hic solus & vnicus prome- ruit salutem: ab illo & propter illum oportet om- nes accipere salutem. Ioan. 1. De plenitudine eius ac- cepimus omnes. Est ergo Christus solus noster sal- uator & redemptor.

Secundò, Deus ordinauit media, per quæ nobis ap- plicamus, proprium facimus, participamus, & frui- mur vnico merito Christi, per quod Deus impartitur promeritam salutem per Christum, & hæc media sunt fides & Sacramenta: fides per Sacramenta credens verbo, apprehendit gratiam & donum Dei. Nō fides vel Sacramētum efficit sua dignitate donum gratiæ, sed Deus per fidem & Sacramenta iustificat, & distri- buit dona: non enim aqua Baptismi tollit peccata, sed Deus hic est qui baptizat, Ioan. 1. Neque cæremo- niæ Sacramentorum, Chrisma, oleum, sal, lumen, ve- stitus, &c. hæc vel ad significationem vel decorē Sa- cramenti fiunt. Sed effectum remissionis & salutis operatur solus Deus per hæc media.

Sic Deus absoluit per medium nostræ pœniten- tiæ, Ioan. 20. Nostra contritio, confessio, satisfactio, aut inclinatio corā sacerdote, non tollit peccata, sed Deus per hæc media facit: sic comestio aut potatio Sa- cramenti non tollit peccata, sed fides in passionem Christi, apprehendit salutem, cuius passionis memoria in tali sumptione agitur, Lu. 22. Sic man⁹ Episcopi & oleum

oleum & chrisma non tollunt peccata, aut confirmant in fide, vel dant authoritatem sacerdotij, sed Deus operatur hæc per talia media: sic coniunctio maris & filii non tollit peccatū, sed aliud donum præstat, benedictionem: Heb. 13. qua carent adulteri. Sic Deus etiam operatur per vñtionem Sacramenti, remissionem & sanitatem, non ipsum oleum, lac. 5. Nullum igitur Sacramentum, nulla virtus, siue fides, charitas, timor, &c. nullū opus quantumcunq; arduum, meretur iustitiam salutis & remissionis, alioqui Christus gratis fuisset mortuus, Gal. 2.

Tertiò, Licet Deus non alligauit potentiam suam Sacramentis, attamen generali cursu non vult distribuere meritum suę passionis absq; illis medijs. Hæc est sua voluntas, omnia per media agere, Rom. 13. quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Contemntes autē & negligentes hæc media, non accipient promissā doni. Non solum dicit Christus, Crede: sed, Pœnitentiam & credite Euangelio, Mar. 1. Serua mandata, Mat. 19. & 1. Ioan. 3. dicit Apost. Hoc est mandatum, vt credamus in filium Dei. Etiam est mandatum, vt diligamus alterutrū. Ex prædictis patet mendacium illorum, qui grauant Ecclesiam Catholicam, qd doceat, ex opere operato Sacramenta iustificare, id est, elementa Sacramentorum, quoniam hæc vt sola gratiæ vasa agnoscimus, è quibus haurimus gratiam Christi, id est, certificamur de receptione gratiæ propter Dei ordinationem. Vndè S. Bonauentura super 4. Dif. 1. q. 3. Ca. uendum est, inquit, ne, dum minus damus corporalibus signis ad laudem, hoc subtrahamus gratiæ effecti. Literę annulo regis sigillatæ, magnę sunt virtutis & dignitatis, & magna dicuntur posse & facere, tamē in eis nulla virtus est absoluta, sed sola ordinatio per assistentiam regiæ virtutis: sic in Sacramentis assistentia virtutis passionis Christi operatur, infallibiliter, que operatur, nō autem ipsa elementa Sacramentorum, &c.

rum, &c. Ipsa Christi promissio est causa effectiua gratiæ, quam fides apprehendit, sic quoq; dicendum est de nostris operibus & virtutibus, fide, spe, charitate, &c. ipsa non sunt causa effectiua gratiæ remissionis & salutis, sed virtus passionis & sanguinis Christi, atq; promissio gratuita Christi, hæc est causa effectiua, quæ per hæc media operatur.

Dicuntur quoque fides, sacramenta, opera, media quæ aut apprehendunt aut retinent gratiam Christi, & nò hæretici imponant, quòd ex opere operato iustificent, sed solus Deus est qui iustificat, Roman. 8. sed per hæc media: Nec dicuntur merita, quia meritum effectiuè & causaliter propriè est à sanguine Christi, & non ex naturali virtute, dignitate propria: Deus operatur gratiam effectiuè per media, sed non hoc facit elementum. Deus est qui baptizat, Ioann. 1. Sunt ergò fides, sacramenta, opera, gratia ita media, vt per quæ Deus operetur, & distribuatur beneficium Christi, id est, meritum Christi.

Dicuntur quoq; signa diuinæ gratiæ, id est, quòd infallibiliter sic Deus sua gratia præsens adest, & confert gratiam, si non est defectus ex parte suscipientis. Nò sunt simplicia signa, sicut circulus ante tabernâ, sed sunt certissima signa gratiæ, verbo Dei ornata, Mar. vltim. Qui crediderit & baptizatus fuerit, &c. Ideò certissimè recipitur, quòd verbum promissionis sonat. Dicuntur quoq; vasa gratiæ: Sacramenta, sed non sunt ex sua virtute gratia ipsa, sed quicumq; vera fide & pœnitentia accesserit, hic certus est ex verbo Dei, qd haurit gratiam ex illis, quæ in promissionis verbo continentur. Nò enim in derogationè gratiæ, Sacramenta dicuntur media gratiæ, signa gratiæ, vasa gratiæ, sed ad laudem gratiæ Christi, quæ per hæc confertur, conseruatur, & gloria possidetur, ne hoc tribuamus Sacramētis, quòd Christi gratiæ debetur, id est, effectiuitatè donorum Dei propter Christum.

N n

Sacra-

Sacramenta non efficiunt vel merentur salutem, sed salus per Christum nobis promerita, fide & Sacramentis apprehenditur & dispensatur.

*QUOMODO SACRAMENTA
& opera confortant fidem.*

TITVLVS LX.



Primo Deus ante omnia exigit, ut credamus verbo suo, scilicet, quod nos sic dilexerit, ut miserit nobis filium suum unigenitum, pro peccatis nostris, & iustitia nobis sit pro peccatis nostris, & iustitia nobis sit coram patre, Rom. 5. & 1. Cor. 1. sine hac fide impossibile est placere Deo, Heb. 11. Subinde quatenus hæc fides semper in memoria sit, & auribus per prædicationem verbi inculcetur quotidie: sed quoniam imbecilles sumus & obliuiosi, ordinavit Deus Sacramenta, & signa gratiæ nobis per Christum impertire, quæ ante oculos ponuntur, quatenus fides nostris confortetur erga Christum.

Sic credo remissionem peccatorum propter Christum: Hæc fides confortatur per Baptismum, ut dicitur, baptizatus fuero, certus fio de remissione peccatorum & salute. Nam sic dicit Marci vltim. Qui crediderit & baptizatus fuerit, &cæt. Subinde credo quod Christus me seruabit vsq; ad finem in vera Catholica Ecclesia iuxta illud Philip. 1. Qui incepit in vobis bonum operum, perficiet. &c. Et hæc fides confortatur per confirmationem verbi, datur Spiritus sanctus in roborem. Sic Apostolis in die Pentecostes, Act. 2. Credo Christi Evangelium & verbum Dei esse verum, sine omni mendacio. Nam impossibile est Deum fore mendacem, Hebræ. 6. Roman. 3. Hæc fides confortatur per frequentem prædicationem, quam à Catholicis peccatis ministris audio, Luc. 11. Beati qui audiunt verbum Dei